

GAGUINUS (Robertus)

DE PURITATE CONCEPTIONIS VIRGINIS MARIAE.

(594 vers)

ADVERSUS VINCENTIUM DE CASTRO NOVO.

v.1 Est mihi mens aequis in te procurrere telis,
 2 qui sopita diu reprobata bella moves.
 3 Horrida, constans est, terras portenta tulisse :
 4 durior insurgis omnibus Hydrigenis.
 5 Nec Lernaea tuum natalem struxit origo.
 6 Te genuit Stygio torva Megaera lacu,
 7 et tenui cedante toga diffundere vitus,
 8 te scelerum et mortis conditor edocuit.
 9 Dum vultu praetendis ovem, dum membra cucullo
 10 contegis, introrsum vipera saeva furit.
 11 In Domini matrem vasto procurris hiatu,
 12 ut lupa praelonga discruciatam fame.
 13 Undique fulgentem puro candore Mariam
 14 impius obscena proluis illuvie,
 15 et circumlato mundi per regna libello,
 16 scribis originei criminis esse ream.
 17 Talia dum vibras petulanti pectore probra,
 18 Totus in adversum provocor ire pugil.
 19 Parva Giganteam pastoris fundula molem
 20 in caput excussa glande dedit barathro.
 21 Ille sacer fidit superare Georgius anguem
 22 cui stabat virgo sorte futura cibus ;
 23 nec meus exsertis cedet mucronibus ardor,
 24 quae sua sunt Virgo bella Maria geret.
 25 Consere, Diva, manus, atque instrue brachia telis,
 26 ardet equus laxis currere carceribus.
 27 Traditur Eoo cum surgit ab aequore Titan
 28 esse voluptatis, non sine vere, locus.
 29 Magnus ubi rerum princeps et conditor orbis
 30 legibus adjectis vivere jussit Adam.
 31 Sacra loci medio praestabat fructibus arbor,
 32 certa boni custos, certa ministra mali.
 33 Hujus erat vetitum fructus libare parentes,
 34 cetera cedebant usibus horticolaе.
 35 Credula sed mulier infelix Eva marito
 36 exhibet exemptum quem probet ipse cibus.
 37 Ille suadenti ne dura fronte repugnet,
 38 vescitur, Auctoris immemor atque sui.
 39 Mox puduit facti, sensitque expertus oriri
 40 in semet varias a ratione vias.

41 Nam concorde prius membrorum lege, coibat
 42 totum hominis regnum, spes erat una Deus.
 43 Pellitur inde nocens et cogitur exsul aratro
 44 poscere humum frugem, quam miser esse queat.
 45 Hinc nata est soboles aeterno obnoxia leto
 46 cui fuit et Superum curia clausa diu,
 47 donec ab excelso est demissus Patre Redemptor,
 48 qui se mole hominem proderet ipse Deus.
 49 - "Prima hominis labes infecit semine prolem :
 50 solus habet Christus ferre salutis opem."
 51 Perfidus his saevum jaculis Vincentius agmen
 52 armat, et emisso milite pila vibrat.
 53 "Omnis", ait, "series hominum pro sorde paterna
 54 inficitur, tantae ceu rea nequitiae.
 55 Hinc Deus aequata damnavit lege nepotes,
 56 subjiciens culpa, quos generaret Adam."
 57 Fallere, Vincenti ; cohibetur limite nullo
 58 conditor, et liber omnia vult et agit.
 59 Illaqueat, solvit, punit, miseretur, ut orbis
 60 rector et antistes, arbiter et dominus.
 61 Furari scelus est ; sed nonne Aegyptia Moses
 62 vasa ferens, furti nescius excipitur ?
 63 Numquid et ille Jacob, dextram mentitus Esau,
 64 dum fallit patrem, dona beatus habet ?
 65 Quae daret ulla locum fraternae sanctio fraudi ?
 66 En Deus impune praeterit acta Iacob.
 67 Non turpe est quodcumque jubet complere Creator,
 68 qui caelum et terras, lege solutus, agit.
 69 Sic valuit ritum nascendi et mentis habendae
 70 dispensare potens in Genitrice Deus.
 71 Majestatis erat noxa subducere Matrem
 72 quae sola in cunctis libera faece foret.
 73 Talis honor decuit venturi Regis alumnam,
 74 et matri gnatus debuit esse pius.
 75 Prodiit edictum Romam cum Caesar agebat,
 76 impositis scribi censibus omne solum :
 77 quis neget Augustum potuisse remittere Trojae
 78 vectigal, Latio ne daret aera Remo ?
 79 Tempus ubi advenit peccatis solveere sontes
 80 et carnis sanxit Christus habere togam,
 81 conversa est Natura : parit longaeva virago,
 82 Non satus inclusum ventre salutatur Herum.
 83 Nescia concubitus, supero stillamine virgo
 84 fert hominem pura virginitate Deum.
 85 Nec dolor a partu, nec anus industria Matri
 86 obsequitur, gaudet Virgo puerperio.
 87 Bellua Vincenti, ignoras haec, lege soluta,
 88 facta Deo auctore, cui favet omne quod est ?
 89 Signa prius tanti exstabant ingentia miri :
 90 arida gestanti florida virga fuit,
 91 transit ab Aegypto populus qua stagna fluebant,
 92 nec secus ac muro clausa fuere freta.
 93 Libera sic oritur Virgo, nec originis humor
 94 inquinat, hanc Stygia sic reveretur aqua.
 95 "Cur ita ? " - Siste pedem, Vincenti, vera docebo,
 96 nec te discruciet qua furis impietas.

97 Haec una est Virgo qua cervix tunditur anguis
 98 credula cui miseris auribus Eva fuit.
 99 Principium vitiis tulit Eva, Maria medelam ;
 100 haec vitae porta est, mortis ut illa fuit.
 101 Eva parens scelerum rubuit se noscere nudam,
 102 hanc contra vitium praestruit Omnipotens.
 103 Mirandis rebus decuit miranda preire,
 104 nuntia candoris quo pia Virgo nitet.
 105 Ecce iterum insanis, et Christi sanguine lotam
 106 clamas ; admitto, sic tenet alma fides.
 107 Solius est Christi dono genus omne redemptum,
 108 nec tanto eximitur munere munda Parens.
 109 Ille nec Angelicus qui stat clarissimus ordo
 110 hoc tanto fructu se caruisse feret.
 111 Sed pluris longe est lapsu servare cadentem,
 112 tergere quam lapsi foetida terga luto.
 113 Gravior est veniens prae morbo cura medentis,
 114 quam febrem passo mox revocata salus.
 115 "De supera mente, nil," inquis, "dicere fas est,
 116 cum divina fidem littera nulla facit."
 117 Cur ergo assumptam carnis cum mole fateris ?
 118 Id nullo veteri pagina teste probat.
 119 Sed nonne assentis surgentem e funere Gnatum
 120 mox Matri visum ? Quae tibi lex ? Pietas.
 121 Pleraque sunt sacris sine testibus edita, quorum
 122 stat mensura fides, et pia relligio.
 123 Omnia non lege quaecumque Ecclesia servat
 124 procedunt, constat moribus esse locum.
 125 Ducitur humano persaepe Ecclesia jussu
 126 cui resilire nefas est, obedire salus.
 127 Nunc age, Vincenti, et vim nostram, perfide, senti,
 128 quam regit et firmat intemerata fides.
 129 Quae magis est Christi vel mors vel vita putanda ?
 130 Quaeque sacris colitur et celebranda datur.
 131 Quidni igitur vitae sanctos concedis honores
 132 sicut et exstincto munda sepulchra damus ?
 133 A cruce pendentis pia curans funera Joseph
 134 sindone candenti corpus inane refert.
 135 Et quo nulla prius sanies illata fuisset
 136 exanimem busto condit odorifero.
 137 Tu, scelus, hospitium formandae carnis Iesu
 138 peccati macula polluis et temeras ;
 139 te pudeat vivum vitiato inferre locello
 140 quem foede evectum nobilis urna capit.
 141 Eva, nocens mater, gentem enixura caducam,
 142 candida de puro prodiit osse viri.
 143 Spirituum genitrix, recreandi sarculus orbis,
 144 venerit in tenebris sordida ? Non fateor.
 145 Sanctus et Omnipotens, Vincenti, crede, paravit
 146 augustum prorsus caelitus accubitum.
 147 Nec binas jactes nascendi existere formas,
 148 seminis et fusae per sua saepta animae.
 149 Neutrum, regnantis praeventu, culpa subegit,
 150 proteggit a Borea praevia dextra facem.
 151 Et tua despiciamus, Vincenti, instantia, dum vis
 152 anxius accepti scire minuta boni.

153 "Scilicet", ut perhibes, "punctum signetur oportet
 154 lumen ubi primum coepit, et enituit.
 155 Prae facto res est, praecedunt vasa liquorem :
 156 ergo preit luci sanctificanda parens ;
 157 ergo Maria priusquam lumine clara niteret,
 158 fusca fuit labe carnis origineae."
 159 In cirpo nodum et festucam in stramine quaeris,
 160 quaeris et in liquido lumen et astra polo.
 161 Ingens artificis suspendit gratia legem,
 162 purius ut matrem fingeret aetheream.
 163 Principio tota laxa caligine fulsit,
 164 et plane irradians praevaluit nebulis.
 165 Haud aliter fulgor, suppulsa nube, coruscus
 166 promicat, et pura lampade lustrat humum.
 167 Aspice dum mentem carni Deus indit ab alto,
 168 et creat et fundit vivificatque simul :
 169 sic vitam et lumen, uno spiramine, Matri
 170 contulit, instantis nulla minuta sequens.
 171 Extrema dum gente petunt connubia reges,
 172 nonne vides prompte libera multa dari ?
 173 Nuntius it praepes, qui flumina, castra, meatus,
 174 Reginae expandat, tota tributa vetet.
 175 Plebs omnis festiva canit, vacat ipse Senatus,
 176 una omnes nuptam plausibus excipiunt.
 177 Stans navi exactor non instat quaerere naulum,
 178 non hiat ad stipem janitor aedituus.
 179 Praeterit interea immunis regina tributum,
 180 libera fit sponsi munere tota sui.
 181 Haud minus adscitam thalamis regalibus, Annae
 182 progeniem rerum machina laeta colit.
 183 Serva Dei Natura audit quaecumque jubetur,
 184 et tremit aegra caro, se retegente Deo.
 185 Callidus et culpa coluber suggestor iniquae
 186 temperat occultis prodere se latebris.
 187 Hoc more exurgens terris liberrima Virgo,
 188 exsuperat tenebras sidere fulgidior.
 189 Ulla nec infecit gignendam foeda libido :
 190 qua prurire patres qui potuere sacri ?
 191 Cur neget alma fides sudoris more liquari
 192 semina posse viris, dum pia vota gerunt ?
 193 Atque equidem credo, salva pietate, Mariam
 194 pruritu nullo germinis esse satam.
 195 Si potis est jactum stertenti abducere semen
 196 incubus, et foetus inde fovere novos,
 197 cur hominis virtus, usu firmata pudico,
 198 necnon et jugi trita labore caro,
 199 non sese excutiat dum format semine prolem,
 200 et reddit casto debita jura toro ?
 201 Adsit praesertim si magni jussio Regis,
 202 qualis in amplexu cum tulit Anna virum.
 203 Ille vacat noxa, nec stat pollutus Oseas,
 204 castus in assumpta dum meretrice coit.
 205 Stat virtus Domini fortis dirumpere caelos,
 206 et te nubifragis perdere fulguribus.
 207 Ecce adeo aegrotum crucians agit ignea febris,
 208 afflicto ut maneat nullus in ore sapor ;

209 et fidei plerosque calor pietasque perurit,
 210 jam nudo ut prunas spernere calce queant.
 211 Cantavit Daniel flammis circumdatus hymnos ;
 212 num cratem martyr pertulit intrepidus ?
 213 Gratia cur nequeat, artato fomite luxus,
 214 claudere dissuetis regna libidinibus ?
 215 Stoicus exacte scrutatus plurima, certat
 216 munere virtutis sistere sic animos,
 217 ut nullo insultu titubent. Tanti valet usus,
 218 suetus et a teneris vincere dura labor.
 219 Sopit et ars carnem quam scindere durus aliptes
 220 audeat ; illa nihil sentit, abitque dolor.
 221 Adde quod et patulo spectamus lumine multa,
 222 ectasis haec eadem cernere saepe negat,
 223 constitit ad modulos ceu saxum immobile nupta,
 224 nec dulci fracta est carmine Caecilia.
 225 Non titillat odor spirans opobalsama nares,
 226 cum male mundus olet, et bene Christus olet.
 227 Tangimus, olfacimus, audimus, vescimur, atque
 228 possumus illaesi cernere criminibus.
 229 Quid causae dicas, cur non domet ignea virtus
 230 lascivum in membris atque petulca liget ?
 231 Sacro igitur compluta caro divinitus imbri,
 232 dans operam gnatis, non cupit, et generat.
 233 Non dederim cunctis hoc munus, sed quibus alget
 234 mens vitio, et totam spiritus intus alit.
 235 Scilicet ut quicquam factu mirabile pangat,
 236 quod vere exhibuit in Genitrice Deus :
 237 sicut opus moriens nimium memorabile fecit,
 238 sic longe stupidum praebuit adveniens.
 239 Insultas iterum, et planta sublatus inani,
 240 in jugulum sicam, si patiamur, agis.
 241 "Excisa est", inquis, "non munda carne Puella
 242 peccatoris Adae, quo cadit et soboles."
 243 Bellua, quid ringis ? Lucas testatur Adina
 244 mole satum Jesum, numquid et ille ruit ?
 245 Non cecidisse Deum summae virtutis habetur,
 246 Hanc stare integram muneris esto Dei.
 247 "Sed prior est gnato, prius et genus omne parentum est,
 248 certa quibus Christi passio facta salus.
 249 Numquid et illa mori prae gnato Virgo valebat ?
 250 Quem dabis absumptae, dum cadit orbe, locum ?"
 251 An Geniti potuit funus praecedere Mater ?
 252 Non. Erat affixi congemitura necem.
 253 Quae si rapta solo stamen praescinderet aevi,
 254 quo migravit Enoch, forte migrasset ovans ;
 255 aut sede illustri Superis comitata maneret,
 256 dum peteret Gnatus regna beata Patris.
 257 Hoc tamen arcanis clausum penetralibus esto,
 258 in flammam prudens mittere nolo manum.
 259 Cetera quis pugnas temerarius undique pila
 260 confringam, ut poenas des celer, et miseras.
 261 "Dirae", inquis, "pestes quas fert humana propago
 262 vexavere ream : mors, sitis, aestus, hiems,
 263 cura, labor, somnus, dolor, aegra senecta famesque,
 264 fomitis est tantum noxa repressa mali.

265 Criminis haec signant tractus, quo culpa nepotes
 266 aurigante malo ducit, agitque suos."
 267 His quoque, Vincenti, poteris transfigurere Christum :
 268 esuriit, frixit, languit, emoritur.
 269 Jam nervum intorque, feries vibramine eodem
 270 et matrem et genitum. Numquid uterque cadit ?
 271 Morborum genus est humano in corpore duplex,
 272 unum quale tibi nascitur a proavis,
 273 naturae commune malum, quod propria nulla
 274 culpa facit : sed edax est vitians caries.
 275 Nempe fames et mors, nullo peccante, maneret,
 276 Nam pugnace quod est condicione, fluit.
 277 Has sine labe tulit praecellens femina poenas,
 278 quippe quod ad meritum talia semper agunt.
 279 Alterius, quod fit ad crimen semita, morbi
 280 (fomes ut et rerum nescia pigrities),
 281 expers Virgo fuit, quamquam pro lege fatemur,
 282 illa sequi ; imperium sed tenet omne Deus.
 283 Rursus id oppugnas, similemque accedere Gnato
 284 Matrem indignaris undique si micuit.
 285 Altera sed Gnati Genitricis et altera lux est,
 286 ille stat, et semet fingit ut Omnipotens,
 287 cui nihil et quicquid nihilo fit paret, et audit,
 288 nam sunt cuncta Deo, ceu sua ferra fabro.
 289 Cum pius accessit nostras legatus ad umbras,
 290 protinus haec carnis par homo sustinuit,
 291 non sordem aut miseri subolentia probra parentis,
 292 sed quibus exstabat corpore pressus homo.
 293 Majestas potuit feno sarcire togellam,
 294 foetida quam prorsus mendula nulla notet.
 295 Quod de se nequeat limo formanda Puella,
 296 ni juvet hanc cui sit mater habenda, Deus.
 297 Ille sua solus natura est criminis expers,
 298 haec, praefulta pio lumine, sorde caret.
 299 Hinc sibi fecisse congauget magna Potentem,
 300 dum Vatis matrem visitat Elizabeth.
 301 Magna humilis dixit, quae prorsus maxima constant,
 302 namque aliis retro praestita magna legis.
 303 Ecce duos tradunt divina volumina vates,
 304 vix fretos animis mente fuisse sacros.
 305 Grandia si magnis, cur maxima quaeque negemus
 306 praebita majori, quae preit una Deos,
 307 quam vestit pulcher radiorum lampade Phoebus,
 308 cujus obit nitidos Luna corusca pedes ?
 309 Propterea totam conclamant cantica pulchram,
 310 prorsus et infectae faecis habere nihil.
 311 Haec illa est, veterum pulchre signata figuris,
 312 femina, quae vincat Zeuxis, et artis opus,
 313 cui cedit Rachel, cedit pulcherrima Judith,
 314 et formosa Esther cesserit, et Noemi.
 315 Nec Sarra Abrahami, quam vis miranda, preibit.
 316 Feminum superat omne Maria decus,
 317 trinaque cum tantum referantur monstra reatus,
 318 fomitis et veniae scilicet, et sceleris,
 319 primi vis nulla est, venialis nulla favilla
 320 obfuit. An sceleris ? Furcifer, hoc videas.

321 Dum loquimur crimen et mortis noxa remordet,
 322 sit procul a nostris candida Virgo probris.
 323 Credimus hanc tantam Caeli sub numine Matrem
 324 mens poterit quantam noscere, ducta fide.
 325 Plura quid oblatras, quid frendes, perfuga nequam ?
 326 Sentio quo refugis, qua struis arce dolos.
 327 Vos, o sancta cohors Doctorum, in proelia longo
 328 agmine deductos percupit esse duces.
 329 Ipse libens vobis dum vivo, et perfruor aura
 330 obsequar, et juvenis vos reverebor avos.
 331 Hoc tamen impetrem sinite, atque ignoscite, divi,
 332 dum pietate calens Virginis arma sequor.
 333 Saevus ut hostis avet, si spicula mittitis arcu,
 334 letiferum Divae scorpio vulnus aget.
 335 Fit rea, fit castris non digna aliquando supernis,
 336 sed nec amata Deo, putris ut unda mero,
 337 quod foedum et turpe est, nec fida admitteret auris,
 338 publica nec recipit, parcite, vestra fides.
 339 Sentio quae vobis sententia sederit olim,
 340 omnia communi subdere lege placet.
 341 Non artare Dei mundi moderantis habenas
 342 mens est, ut nequeat solvere quae voluit.
 343 Pura sacerdoti praecinctorum altaribus olim
 344 Cydaris, et candens linea vestis erat.
 345 Quem vetitum scimus foedum tractare cadaver,
 346 nec sinere exstinctis sacra nigrare focis.
 347 Pontificem sic credo novum, qui sanctior esset,
 348 caelitus et Patri victima digna foret,
 349 Verbiparae thalamum velis ornasse coruscis,
 350 unde sit a puro factus ad astra gradus,
 351 primo mortiferam qui nec contingeret alvum,
 352 sed fieret mortis, morte Redemptor homo.
 353 Quid panem Angelicum foedo prohibetis ab ore,
 354 si carnem impuram primitus incoluit ?
 355 Una fidem servat Christo moriente Maria,
 356 una habeat terris libera colla iugo,
 357 una fores Caeli vobis concepta recludit,
 358 unam prae reliquis contio vestra colat :
 359 ne si contactam dicetis origine Matrem,
 360 Christus ab immundo sanguine membra ferat.
 361 Quae fuit atra situ contaminat olla liquorem,
 362 et tristem subolet illita crusta picem.
 363 Virgineos igitur fermenti nullus amator
 364 asperet exortus. Sit mera, sit simila.
 365 Non vos oblectet duplex conceptus, ut hostis
 366 suggerit : omne tulit gratia praeveniens,
 367 et pius antiquae posuit retinacula legi,
 368 dum novus ex veteri conditur alter homo.
 369 Lux comes e superis totos radiavit in artus,
 370 et brumam impendentem expulit Astripotens.
 371 Sic praecenta diu sacrorum oracula Vatum,
 372 edita sic caelo signa relata probant.
 373 Cui Natura dedit miris compagibus artus,
 374 addidit et lucis munera vis domini.
 375 Perspice, Vincenti, quo me pius evehit ardor :
 376 eloquar audenti carmine quod sapio.

377 Congruit hoc Gnato penitus lucescere Matrem ;
378 si decuit, voluit ; si voluit, quid obest ?
379 Quod decuisse liquet, ratio nec pugnat, idipsum
380 et dico, et clamo velle necesse Deum.
381 Qui legem tulerat venerari corde parentes
382 omnino in Matrem jure benignus erit.
383 Belliger ut Josue tutetur ab hoste Gabaon,
384 stare polos jussit, Sol retroflexit iter,
385 nec Ducis edictum spreuit regnator Olympi,
386 hostibus exitium fit remorata dies.
387 A Pharaone volens populum servare Creator
388 fert elementa suo cedere quaeque foro.
389 Nilus agens ranas fundit pro pisce cruorem,
390 dira locusta solum, corpora vermis edit.
391 Haec Natura negat, prohibet lex, obstrepit usus,
392 esse tamen cernis praeside facta Deo.
393 Sic pater Omnipotens, populi pereuntis amator,
394 dum studet oppressis, et dare tutor opem,
395 legibus imperitat, jubet in statione teneri
396 progressus rerum, dum sibi constet opus.
397 Attamen interea superi de numinis actis
398 disputat argutus, si Deus astra regit ;
399 os sursum profert, caelos et sidera supra
400 scandere conatus pone tribunal Eloy,
401 atque iterum humano rimatus robore turrim,
402 concrepat, ut Nemrod, vocibus omnigenis.
403 Nec recipit demens, ut noctua sole laborat,
404 Lucifer ut toto fulminet astra polo.
405 Ardua scrutantem sublimis gloria fallit,
406 numinis objectu mens hebetata jacet.
407 Dicite quos torpet scrupus tam caeca videndi,
408 qua magnes ferri pondera vi rapiat.
409 Qua brevis echinus, nec enim plus ille pedalis,
410 mercibus oppletam distinet arte ratem,
411 nam neque vis hominum, sed nec violentior Auster
412 pisciculus navem dum remoratur agat ;
413 cur pelago in summo cohibet torpedo natantes,
414 hanc licet obductam celet arena freti.
415 Vulgatum referam, sed virtus cognita nulli :
416 miretur quivis Crantor et Empedocles.
417 Reticulum pendens quo numine textit arachne,
418 qui mella et ceras floribus edit apis ?
419 Ethiopi cibus est draco, <.....> nutrit edentem, (vers lacuneux)
420 confestim est aliis pestifer interitus.
421 Hoc callet nemo, quivis bonus ambigit auctor,
422 "Vis facit hoc", aiunt, "indita, caeca, latens."
423 O caecas mentes studiorum, extantia coram
424 linquimus, et longe condita discutimus !
425 Naturae legum expertem, penetralia quaedam
426 ingressum, et magni promere scita Dei !
427 Abstrusa introrsum rebus vis tota latet vos,
428 quis mentem primam calculet et penetret ?
429 Quis vestrum penitus sensim illabentia menti
430 senserit acta Dei, aut experiatur opus ?
431 Dicitis : Hoc fiet ; et stat deducere votum ;
432 mox conversi aliud volvitis et facitis.

433 Pectora mens ut vult caelestis, credite, versat,
 434 libera nec vestris subjacet insidiis.
 435 Non tam nigra tegit solem quandoque procella,
 436 quam mentem recutit celsius orbe jubar.
 437 Ast semel effracta, Vincenti, pila retorques,
 438 atque redis iterum unde repulsus eras.
 439 "Est data lex, fateor ; legem suspendere quisnam
 440 latorem nollit, cum pius instat honor ?
 441 Credite, non nostrum est vires et sensa Creantis,
 442 noscere, sed quod agit prendere, facta sequi."
 443 Stant in subsidiis quorum virtute fovemur,
 444 Basileae Patres, docta ferire cohors,
 445 quae numero et rerum sublimi robore praestans,
 446 et veri et fidei certa magistra manet.
 447 Huic tuus ille senum posita cervice maniplus
 448 cederet, et Synodi se daret arbitrio.
 449 Divus Aquinates quem sumis ad arma patronum
 450 nutat, et ambiguo te pugione tegit.
 451 Nunc mundam affirmat, nunc scribit origine laesam :
 452 quo pede vis constet, quem variare vides ?
 453 Sed prostratus adhuc nescis consistere, quaeris
 454 si Christi septem diceret illa preces,
 455 an sibi dissolvi Virgo peccata rogaret.
 456 Vah, miser argutor, quam ferus obstrepitas !
 457 Ecce sacro quisque lotus baptisate, supplex,
 458 pectus et ora manu tundit et illacrimat :
 459 nonne renatus eget mox <...> sorde lavari ? (vers lacuneux)
 460 Venerat ex lavacro sidere dignus homo.
 461 Candida, cui nulla est felix Ecclesia ruga,
 462 dum petit eximere debita, quid repetit ?
 463 Non admissa gemit, venturi provida mater
 464 gnatorum culpis condolet, et metuit.
 465 Hoc caput ejus agit immunis crimine Christus,
 466 et delicta patrem solvere maestus avet.
 467 Sic Virgo indulgens, aliorum debita radi
 468 posceret, et poterat nostra putare sua,
 469 nam communis erat per Christi facta Redemptrix,
 470 omnibus ergo dolens et fuit et meruit.
 471 Mens humilis quam plena Deo est, tam certat haberi
 472 parva, timens culpam, non sibi tuta manet ;
 473 namque scit ante Deum cunctos sordescere caelos,
 474 est ideo trepidae sedula cura sui.
 475 Jam si forte fuga timide dilapsus abibis,
 476 protinus a tergo verbera mille ferēs,
 477 ante sed obstringam rutilo te fulgure veri,
 478 et qui lippus ades, jam quoque caecus eas.
 479 Producam testes hesternae gente citatos,
 480 Helsinum imprimis, relligione Ducem.
 481 Hic datus orator Anglis avertere Dacos,
 482 dum mediis certat fluctibus ire citus,
 483 et praevecta ratis Euro vexatur et unda,
 484 incertus vitae suspicit astra gemens.
 485 Rumpi vela videt nec mali sistere robur,
 486 et male compactum navis hiare latus ;
 487 imbribus et crebra quassari grandine nautas,
 488 spe nulla saevo turbine cuncta premi.

489 Haec inter pavitans animoque aegerrimus, iras
 490 horrebat caeli, mitis ut agna lupi ;
 491 credidit infelix moribundo busta parari,
 492 et pelago undanti verba suprema dare.
 493 Dum flet egenus opis, miseris et questibus auras
 494 verberat, has Divae concipit ore preces :
 495 "Virgo, salus miserum, propera subducere ventos,
 496 et tranquilla refer aequora fluctivagis."
 497 Talibus acta, Senem Virgo jubet aethere labi,
 498 conscius ut peragat quae pia gesta velit.
 499 Pervolat ille citus insigni vertice Praesul,
 500 et Patris Helsini constitit ante ratem,
 501 atque diu tremulum et certum jam cedere morti
 502 affatus Senior : - "Fortiter, inquit, age.
 503 Nulla tibi ex tantis grassans quas turbo minatur
 504 poena nocet, si das dum loquor, abba, fidem.
 505 Virgo potens pelagi, statio requiesque gravatis,
 506 annuit ; evades, fide, repelle metum.
 507 Concipe jam votis Sanctae solemnia Matri
 508 annua, quae sexto ferre Decembris idus,
 509 Helsine, et studeas et plebi indicere cures,
 510 atque aris supplex thura Sabaea feras.
 511 Nomen erit luci Conceptio fausta Mariae,
 512 tunc et enim vitae limen adepta Dea est."
 513 Dixerat ; Helsinus spondet solatus honores :
 514 - "Et grates, inquit, candida Mater, ago."
 515 Ut promissa fides, repetit caelestia Praesul ;
 516 terrentur nimbi, fit via Lucifero ;
 517 mox polus excussa terris caligine fulsit,
 518 rettulit et gratum navibus aequor iter.
 519 Alter adest verax, fulgens a flumine testis,
 520 quem fluctu absorptum Sequana restituit.
 521 Navigat a stupro taetra dum nocte sacerdos,
 522 immemorem culpae sollicitavit aqua.
 523 Pallidus assueto dum ritu Virginis odas
 524 incipit, exturbat fluctus et aura virum.
 525 Exstinctum Furiae festinant tundere plagis,
 526 criminis ut poenas foedus adulter agat.
 527 Virgo sed adveniens hac tantum voce repressit
 528 Daemonas : - "Ite, meus presbyter iste fuit.
 529 Dum caneret nobis undoso in flumine laudes,
 530 praeripit huic vitam perfida vestra manus.
 531 Ite, animam capiat frigans a morte cadaver :
 532 illa pudens sceleris februet ipsa scelus."
 533 His confusa nocens se turba in Tartara condit ;
 534 Virgo jubet mentem corpus adire suum.
 535 Reddita sed postquam defunctum vita revisit,
 536 affatur miserum sic pia Virgo virum :
 537 "Vade, age, nec posthac vitii te subruat unda ;
 538 vita sacerdotem crimine munda decet.
 539 Te probri meminisse decet, jam gratus adesto,
 540 munus et acceptum gratior usque cole.
 541 Festa dies tibi sit Conceptio nostra perennis ;
 542 quam mentor octava luce Decembris agas."
 543 Haec effata redit ; sublimem suscipit aether.
 544 Presbyter ut jussus tradita festa colit.

545 Plurima conceptum testantur et altera Divae :
 546 sit satis a binis testibus esse fidem.
 547 Quid tandem solemne pium peccamus agentes ?
 548 Quid fidei adversum lux pietatis habet ?
 549 Creditur haud frustra terras et cuncta novantem
 550 lege nova Matrem jure creasse novam !
 551 Novit ut Omnisciens aeterna mente futurum
 552 crimen Adae, pariter scivit et antidotum,
 553 et quod mortiferum dabat improba culpa parentis,
 554 tota foret vita per reparantis opus.
 555 Non igitur decuit labem incurrisse puellam
 556 qua purganda sciit sordida nostra Deus.
 557 Maxima prae multis narratur saepe diebus
 558 Pharae Hebraeorum transitus ille maris.
 559 Omni Mardoceum celebrat Judaeus honore,
 560 patronus genti qui fuit ille suae.
 561 Atticus est Cecrops venerandus semper Athenis,
 562 Spartanis celebris jure Lycurgus erat.
 563 Romulus est Italidis miranda laude perennis :
 564 quippe suum auctorem patria quaeque colit.
 565 Et prohibere audes, Vincenti pessime, fastum
 566 esse diem Matris qua sit ad astra via ?
 567 Sanctum ergo est festas venerari Virginis aras,
 568 et demissa polo credere signa pium.
 569 Ipsaque jam late communi foedere sacra
 570 per populos ferri non ratione vacat,
 571 nec sineret pietas fecisse piacula justos,
 572 est quibus innumeris tam memorata dies.
 573 Quid stas attonitus, ceu bellua lapsa caverna ?
 574 Quam torve avertis lumina terrificus ?
 575 Orta Deo quae sunt numquam dissolverit aetas,
 576 humanum in puncto solvitur ut nebula.
 577 Jam falsi advenies mundo notissimus auctor,
 578 teque tuosque ferent fulgura dira libros !
 579 Exsul abi, et circo fugiens discede, madentes
 580 et sudore pigros jam tuba solvit equos.
 581 Quin etiam e Superis, tu nostros, Mater, agones,
 582 et tibi certatum protege semper opus.
 583 Nulla chori veteris blando pede Musa canenti
 584 affuit : esse potes versibus una satis.
 585 Ut tuus illuviem Conceptus, Virgo, perhorret,
 586 sic Jovis et Bromii nomina despueres.
 587 Prima per ignotum pressi vestigia circum,
 588 Gallus ubi nemo luserat ante pugil.
 589 Hinc plus forte aequo verbis audaculus egi :
 590 vix prima incultus falce novatur ager.
 591 Sacra sequens, humili penetravi Marte duellum,
 592 cetera jam punctim fortis Athleta gerat.
 593 Non mea contendo circumdet tempora laurus :
 594 coepta tibi pugna est, grata sit ipsa tibi.
